

Wd
873





n. 69, 3.

*De Ernesti. Pii Duc. Sax
consilio condendi collegii
ad decidendum controversias
Religionis*



ORDINIS THEOLOGORVM
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
HOC TEMPORE
DECANVS
GOTTLIEB
WERNSDORFIVS
THEOL. D. ET PROF. PVBL.
CONSIST. ASSESSOR PAST. ET SVP. GENERALIS
LECTVRIS
S. P.







il equidem, fateor, vel sancto Dei
coetui damnosius, vel in eodem
docentibus molestius, evenire
potest, quam tristibus de religio-
ne certaminibus vexari. Namque
& illi plus aliquando periculi ab
haeresibus, quam a tyrannide, im-
minet, & hos inter suo quisque
officio in pace ac otio defungi, quam adversus corrup-
pentes doctrinam pugnare, mallet. His ipsis tamen
controverfiis, ac molestiis, supersedere semper, ut maxi-
me cupiamus, non possumus. Nec enim vel veritates
divinas pro nullius momenti rebus, de quibus non sit
operæ pretium contendere cum quoquam, habere, vel
errores cum *Thomasio*, & *Thomasii* pullis, inter res in-
differentes, a quibus nihil immineat, vel noxæ, vel pe-
riculi, referre debemus. Quin potius, ut veritates cœ-
lestes margaritis, & quovis auro, argentoque, pretiosio-
res; sic invicem hæreses & errores, quovis veneno, qua-
libet peste, nocentiores, putandi sunt. Veritates enim
originem suam debent fonti, auctoriq; Veritatis,
DEO, cujus et Spiritus veritatem inspirat, & verbum
ipsa est veritas, quæ ad æternam salutem ducit. Er-
rores autem proficiscuntur a patre errorum omnium et
mendacii, Satana, & referuntur inter opera carnis, quæ
qui facit, a patria cœlesti perpetuo exulabit, imo pejo-
res sunt schismatibus & dissidiis, attrahuntque ἀπώλειαν,
& exitium æternum. Quapropter tum Christianis sin-
gulis, ut a falsis Prophetis sibi caveant, & ad eos, qui
A juxta

juxta doctrinam, quam didicerunt, *διχομασίας* movent, attendant, tum eorundem Doctoribus, ut & veritates studiose custodiant, & errores sollicitè confutent, & lupos ab ovilibus arceant, & creditam sibi veritatem mordicus retineant, incumbit. Quod utrumque cum procul certaminibus & controversiis fieri non possit, patet, hæc ipsa non solum licita esse, sed etiam necessaria. Sunt, qui controversias omnes de religione cum præceptis colendæ concordia ac pacis, aliquando etiam regulis prudentiæ, pugnare, adeoque, his maxime temporibus, simpliciter omitti debere, censeant. Quos quidem vel parum de religione nosse, vel nullius religionis esse, vel saltem religioni male prospicere arbitramur. Cum Epaminondæ obtrectator, Meneclides, hortaretur Thebanos, ut pacem bello anteferrent, rectè huic Epaminondas: *Fallis*, inquit, *verbo Cives tuos, quod hos a bello avocas. Otii enim nomine servitutem concilias, nam paritur pax bello.* Idem iis, qui subinde a certaminibus, etiam necessariis, prohibent Doctores, dicendum est. Pacis enim nomine vel temporem, vel frigus, in animos hominum inducunt, idque efficitur, ut omnes demum hærefes & errores libere per Ecclesiam grassentur, occupentque hominum animos, ac de veritate triumfent. Certaminibus autem, præsertim cum Magistratus officium suum cum Ministrorum verbi studio jungunt, asseritur, & in tuto collocatur religio. Hinc jubemur *ἀποτόμως ἐλέγχειν τὰς ἀντιλέγοντας*, eosdemque *ἐπισημαίνειν*, quod equidem si dissimulando, tacendoque, fieri potuisset, non video, quare per totum Ministerii Liberatores noster voluerit. Nonnulli hodie Magistratibus auctores esse volunt, ut Theologis impo-
natur

natur silentium. Quibus merito respondemus cum
BRENTIO: *Incendium per vos flagrat, nunc prohibetis, ne
accurramus, incendium extincturi. a)* Atqui filendo, diffi-
mulando, in meliorem partem interpretando, aduer-
sariis *os obdurari* non potest, quod tamen fieri jubet A-
postolus *Tit. I. II. Περαικαλιθήκη* audit doctrina saluta-
ris 1. *Tim. VI, 20. 2. Tim. I, 14.* quam non filendo prode-
re, sed asserendo custodire, & conservare debemus.
Multum profecit error, quum id obtinuit, ne detegatur. b)
Hinc Paulus vult Episcopum *ἀνεχόμενον* esse τῆς ἀλη-
θείας *Tit. I, 9.* qui tanto fortius veritatem teneat ac re-
tineat, quanto enixius eam eripere adversarii conan-
tur. Alii, de capitalibus solum erroribus pugnandum
esse, contendunt, reliquis omissis. Quibus facile acce-
derem, ni e Scripturis nossem, pusillum etiam fermenti
insicere totam massam. Sæpe ex igniculo incendi-
um, & ex levisculo, ut videbatur, errore magna hæ-
resis nascitur. c) Nec enim quicquam vel facilius, vel ex-
peditius, est Satanae, quam parvos, & contemptos erro-
res, quos homines initio conceperunt, cum atrocissi-
mis, dum per Deum liceat, commutare. Satius igitur
est, initiis obstare, quam sero remedium circumspecere,
& nullis non erroribus obviam ire, quam, leviores
etiam admittendo, majoribus aditum patefacere.

Hæc ratio movit immortalis famæ Theologum
NIC. HUNNIUM, Sacrorum t. t. in Urbe Lubecensi
Antistitem, ut auctor esset, nostrate in Ecclesia creandi
Decemviros vindicandæ Religionis, cum totidem Collegio
adscribendis. Postquam enim ostenderat, non esse de-
sperandum de compositione controversiarum religio-
nis, negat, hanc ipsam commodius fieri posse,
quam convincendo conscientias per Scripturam, ea

A 3

dex.

a) Vid. Epist. ad Bucerum de Verb. Domini. b) CONZENIVS L. II.
Polit. c. 18, p. 103. c) HIERON. L. III. *Comment. ad Galatas T. IX. 00.*

dexteritate applicandam, ut nullus, vel cavillationibus, vel morosis contradictionibus, supersit locus, & addit, tum demum ejus spem fore, si plures auctoritate publica huic negotio destinentur. Singulos enim univervo labori pares esse non posse, seu ad brevitatem vitæ humanæ, seu ad occurrentes omni ex parte difficultates, attendamus. In republica res magni momenti consilio accuratissimo selectissimorum ingeniorum committi, Deumque ipsum, arduis in rebus, raro molem omnem uni homini imposuisse, quin potius labores & curas divisisse per plures. Idem tentandum esse a Nostriis, ut alii Antiquitates excutiant, alii Papistas veteres & recentiores dejiciant, alii Calvinistas, alii Photinianos, alii Fanaticos, alii hunc illumve speciatim, sibi examinandos, & confutandos sumant. Ita vero fore, ut & adversarii debellantur, & scrupuli eximantur, & oracula vindicentur, & veritas omni ex parte in tuto collocetur. Quæ cum repeteret divini prorsus ingenii, & infinitæ lectionis, Theologus, DORSCHÉUS, addebat, Reges omnes, Principes, ac Magistratus, per conscientiam non posse tam utili, honesto, ac necessario instituto refragari, eaque de causa obtestabatur omnes, quorum consiliis Proceres uterentur, ut id ipsum, pro sua quisque parte, quibus possent, rationibus juvarent. *d)*

Aut ego vehementer fallor, aut hac DORSCHÉI voce excitatus est ERNESTUS ille III. Dux Saxonie, qui, quod inter omnes Germanie Principes maximam, post hominum memoriam, sanctimonie opinionem habebat, non suorum modo, sed omnium nationum, ac gentium, suffragio, dictus est PIUS, ut de condendo illo *Hummiano* Collegio serio cogitaret. Est, qui

d) Vid. *Septenar. Admirand. J. C. in Pras. lib. 6. 7.*

qui omnes omnium Majorum virtutes in hoc ERNESTO,
velut in compendio, confluisse scribat. c) Quod, ut
nimis dictum videri possit, verum tamen esse fate-
bitur, qui magnitudinem virtutis in ERNESTO
vel mediocriter consideraverit. Revera enim miracu-
lum erat inter Principes sui temporis, in quo, nescio,
pietatem, an justitiam, frugalitatem, an munificen-
tiam, lenitatem imperii, an sanctitatem exempli, magis
venerari debeam. Quapropter si ARNOLDUS, mon-
strum hominis, ex nullo alio capite studii partium
convincendus esset, hoc unum sufficere posset, quod
de fanaticis & perditis quibusque hominibus, dum
quandam pietatis speciem, præ se tulerint, prolixas
narrationes instituit, ERNESTI, rerumque ab Eo,
etiam piissime sanctissimeque, institutarum & gestarum,
ne verbulo quidem mentionem iniecit, certo indicio,
non de Piis illum, sed Pietistis, non de Ornamen-
tis Ecclesiae, sed purgamentis, & maculis, expo-
nere voluisse. Major autem, & omnium sermoni-
bus celebratior, erat ERNESTI pietas, quam
quæ a fanatici hominis calamo commendationem
admittere, nedum expectare, deberet. Extant de
ERNESTI pietate exempla, extant monumenta
ad omnem posteritatis memoriam duratura, & si non
extarent, vel e SERENISSIMIS, ac florentissimis, illius
Posteris, germanis non modo ditionum, sed & Virtu-
tum, heredibus, inprimis autem SERENISSIMO Prin-
cipe FRIDERICO II. Duce Saxonie, J. C.
& Montium, nec non Angrie & Westphalie
cetera, ERNESTI NEPOTE, quem GRATIARVM
OMNIVM, SEDEM, HUMANIQUE GENERIS AMOREM, AC
DELI-

c) PFEFFERKORN in Memor. Thur. cap. XVI. p. 195.

DELICIUM merito nominaveris, qualis & quantus fuerit
AVUS, intelligi posset. Hic igitur ERNESTUS,
re nomineque PIUS, illa DORSCHER voce exci-
tatus ad condendum illud & instituendum Collegium,
cujusmodi HUNNIUS optarat & suaserat, toto ani-
mi impetu ferebatur. Enim vero norat, *Papistas, Cal-
vinistas, Socinistas*, alios, publicis nos scriptis procul
intermissione, laceffere. Natas esse novas Fanaticorum
sectas, *Bebmistas, Rosæcrucianos, Tremulos* aliosque. In-
ter nos ipsos aliqua esse mota de *Efficacia Verbi, præsen-
tia Carnis Christi*, & aliis. Hinc orta esse certamina cum
RATHMANNO, TUBINGENSIBUS, MOVIO, HELM-
STADIENSIBUS, REGIOMONTANIS & RINTE-
LENSIBUS. Videbat controversiarum nec modum,
nec finem, esse posse, quoad, multis ultro citroque di-
sputatis, nunquam sequatur decisio. Cessare Theolo-
gorum Colloquia & Conventus. Papam nostrate in Ec-
clesia nec admitti, nec esse. Deprehendebat, alios pu-
gnare, non vincere: alios *tacere* nolle, utut *responde-
re* non possint. Veteres non raro controversias re-
vocari, hæreses ab orco reduci. Quibus omnibus oc-
currendum esse, bene sapienterque statuebat. Verum
et illud pro divinitate iudicii sui assequabatur, non de-
cere, ut Principes ac Politici sibi solis potestatem de-
cidendi controversias, vel de religione statuendi, su-
mant. Jus enim decidendi ad totam Ecclesiam, juris
exercitium ad eos, qui per institutum vitæ, & officii
rationem, ad id maxime sint idonei, spectare. Quem-
que artis suæ optimum esse Magistrum. Prædicatores,
juxta LUTHERI monitum, se non gerere debere, ut Reges,
at nec Reges, sicut Prædicatores. Alioqui tot futuros esse
Papas, quot Principes. Sufficere vero, quod ab uno pre-
matur Ecclesia. Multo minus eorum consilium proba-
bat, qui Doctoribus, officium suum facturis, pro au-
tori-

toritate imponi velint silentium. Cum enim infinitas prope, de rebus inanibus & caducis, lites in republica feramus, qui controversias de rebus cœlestibus ac divinis, simpliciter improbabimus? Rempublicam armis, Ecclesiam scriptis defendimus. Ligari aliquando homines possunt: Verbum DEI non potest. *Silentium Amyclas!* Ergo igitur ERNESTUS, considerato illo HUNNII consilio, de instituendo tali Collegio, quod Controversias omnes discuteret, juxta & cum auctoritate decideret, adversariis autem perpetuo se objiceret, cogitabat. Ad id alendum & sustentandum, suis de pecuniis, quas magnas fecerat, ingentem summam cupiebat conferre. Et cum hodie sint pauci, qui controversias vel obolo redimere velint, ERNESTUS nullis, vel curis, vel sumptibus, parfurus erat, dum quieti Ecclesiæ consulere, præclarumque illud ac toti Ecclesiæ salutare, consilium de componendis controversiis exequi posset. Eo enim erat ingenio ERNESTUS, ut domi frugalis esset, ne dicam, parcus, publice, non modo munificus, sed & splendidus, imò effusus, dum quid DEO & Ecclesiæ, quibus se totum devoverat, per id lucrari, & vel religioni consulere, vel disciplinam veterem revocare, Ministros verbi ad faciendum officium impellere, homines a vitiis retrahere, ad virtutes vero impellere, veritatem defendere, ac in tuto collocare posset. Ad quæ omnia cum id institutum plurimum profuturum putaret, modis id omnibus promotum cupiebat.

Erat tum temporis ERNESTO a Consiliis Ecclesiasticis, Vir & doctrinæ soliditate & morum sanctimonia, & famæ magnitudine, clarissimus, GVILIELMUS VERPOORTENIUS, qui cum domi (erat enim
B Lube-

Lubecensis) multa procul dubio, de præclaro illo HUNNII consilio audisset, HERO illud suo vel ipse suggererat, vel ab aliis suggestum probarat. At, ERNESTUS, quanti momenti rem moliretur, non nescius, eandem relictis omnibus cum Potentissimis in Septentrione Regibus, SVECO, DANOQVE, communicandam, eorumque de illa iudicium requirendum esse putabat. Ablegavit ergo ad Eos filium, ALBERTUM, eique itineris comites consiliarios addidit, in his VERPOORTENIUM. Quid illis speciatim dederit in mandatis, latuit diu. Nuper autem e tabulario Saxo-Gothano, bona HERI sui pace ac venia, prodidit Seculi nostri Eusebius, S. E. CYPRIANUS. d) Neque vero non vehementer approbatum hoc institutum in Svecia fuisse, ex literis HEDWIGIS ELEONORÆ, quas
idem

d) Hæc enim Regibus nuntiate, ERNESTI verbis debebant: *Ferner hätten wir uns vortragen lassen, den Rathschlag und Bedencken, welchen weyland D. Nicol. Hunnius, Superintendentens zu Lübeck, im Jahr 1632. in öffentlichen Druck ausgegeben, worin er die Aufriehung eines Collegii von 12. oder zum wenigsten 10. Theologen, samt so viel Adjunctis vorschlägt, welche mit zusammen gesetzten Fleiß, ohne Unterbruch und Verhinderung, welcher sonst andere Theologi, so auf Universitäten oder in Kirchen-Aemtern leben, unterworfen sind, die noch heut zu Tage zwischen unsern evangelischen Kirchen unveränderter Augspurgischer Confession und deren entgegen stehenden Secten im Schwang gehende Streitigkeiten gründlich und dergestalt ausführen solten, daß darwider mit Grund nichts einzuwenden sey, auch sonst einige noch ferner verlangte nützliche Schrifften zu Behuff und Erbauung unserer Kirchen in mehrer Vollkommenheit, als bisshero einzeln erwan nicht geschéhen, zu verfertigen, denen auch zugleich einige Aufsicht der evangelischen Kirchen, Universitäten und Schulen, samt Censur der ausgehenden theologischen Schrifften, auff gewisse determinirte Masse anzuvertrauen seyn möchte; Wodurch dem mit Göttlicher Hülffe, nicht allein der Widersücher vorangezeigten Verkehr- und Verkleinerung der evangelischen Wahrheit begegnet, sondern auch viel zu derselben beifamen Erkenntniß angeleitet, die Unserigen aber in derselben gestärcket, und vor dem bisshero öftters verspürten Abfall bewahret, auch darnoben unter unsern evangelischen Universitäten und Kirchen und deren Lehrern beständigere Einigkeit erhalten, und der bisherigen zu männliches Ergerniß gereichenden Uneinigkeit und Zwiespalt guter massen gesteuert, und ins künfftige verhütet werden könte. Vid. Compendii H. Eccl. Goth. L. III. cap. 3. p. 170.*

idem exhibet Hist. Eccl. Compendium, liquet. e) Ceterum, quod & tum temporis irritum, & ad hoc usque tempus omisium, fuit consilium, difficultates, quibus erat implicitum, faciebant. f) Quæ, numne humanis viribus &

B 2

&

e) Wir gestehen gegen E. L. mit aufrichtigen Hertzen, daß wir proponirtes alles, nachdem wir es öftters reifflich überleget, nicht allein des salutairen Scopi halber approbiren, sondern auch dessen Zweck ganz heilsam und nützlich, ja so hoch nöthig achten, daß die Erhaltung unserer so ohnschätzbaren reinen Glaubens-Lehre davon guten theils zu hoffen, und mit kräftigern Mitteln besagter und aller andern solchem unserm Gottesdienst für Augen schwebenden Gefahr fürgebeuet und widerstanden werden zu können scheint; und versicher demnach auch E. Lbd. hiermit, daß wir an uns nichts erwinden lassen wollen, welche diese gottselige intention befördern und zu Wercke richten helfen könne.

f) Multi Principes luculenter probabant institutum; alii vero difficultum fore arbitrabantur, in primis Elector Saxo, cujus primarius status administrator, Carolus Friefe, hac de re cum Martino Geiero collocutus multa impedimenta recensuit, quæ Geierus epistola d. 24. Maj. an. 1670. Gotham mista sic repetebat: Ich habe seine (Frisii) Meynung mit der wenigen allerdings einstimmig befunden, und hat er noch über dieses ein und anderes dabei bedenklich erwachten. Zum Exempel: Wenn ein solch Collegium von gesammten Evangelischen Ständen gerichtet werden solte, wie viel Zeit werde verfließen, ehe so viel Häupter unter einander wegen der Kosten, und Anlag sonderlich, einig würden? wer würde dem andern die Direction einräumen? wie würde man um die Election der Doctorem und Adjuncorum sich füglich vergleichen? wer würde über das Collegium eine so nachdrückliche Inspektion jederzeit führen, damit es demselben nicht ergienge, wie hiebevordenen Collegiis Canonicorum? Ja wenn dieses alles gehoben und beygelegt, wer würde so viel Köpffe in steter Harmonie erhalten, da kaum eine Facultät von 4. Personen in guter Eintracht verharre? welcher unter diesen zwölfen, so er sonderlich mit einem bessern Talento versehen, würde leichtlich nachgehen? Überdies stünde zu besorgen, daß eben dieses neue Collegium über andere Facultäten auf Academien ihm werde eine Prærogativæ zuneffen, und also denenselben weder nachgeben, noch schuldigen Respect erweisen. Das Studium partium dörfte auch nicht ausbleiben, indem ein jeder seiner Landes-Leute Meynungen würde außsüßte behaupten, ja bey auffgehenden Controversien würde ein jeglicher Reichthum sein Subjectum nach seiner opinion instruiren. Was eingefessene Meinungen würd außsüßte behaupten, ja bey auffgehenden Controversien würde ein jeglicher Reichthum sein Subjectum nach seiner opinion instruiren. Was eingefessene Meinungen würd außsüßte behaupten, ja bey auffgehenden Controversien würde ein jeglicher Reichthum sein Subjectum nach seiner opinion instruiren. Was eingefessene Meinungen würd außsüßte behaupten, ja bey auffgehenden Controversien würde ein jeglicher Reichthum sein Subjectum nach seiner opinion instruiren. Was eingefessene Meinungen würd außsüßte behaupten, ja bey auffgehenden Controversien würde ein jeglicher Reichthum sein Subjectum nach seiner opinion instruiren.

Andere Beforglichkeiten mehr bezubringen wird unvonnöthen seyn. Gienge also des Hrn. Geb. Raths und Præsidenten Gutachten dahin, daß an statt eines gar neuen Collegii man lieber bedachte seyn müchte auf Erweiterung der theologischen Facultäten auf Academien, damit ein, zwey, oder mehr Personen adjungiret würden, welche

man

& consiliis, superari, vel non superari, potuerint, nostrum nunc non est dispicere.

Ad GVILIELMI potius VERPOORTENII filium, Virum Maxime Venerandum, M. MENONEM ALBERTUM, hucdum *Ecclesiae Neapolitanae ad Ericas Pastorem Primar. hujusque ac vicinarum, Superintendentem*, laudandum progredimur. Hic enim haud ita pridem concordibus Serenissimorum Principum Nutritorum suffragiis, praeter opinionem, creatus est *Gymnasii Academicum*, quod *Casimirianum* vocatur, in Urbe *Coburgensi, Director, & SS. Theol. nec non Metaph. & Moral. Prof. Publicus*. Lex quaedam Gymnasii est, sapienti consilio lata, oportere illum per omnes honores Academicorum gradus ivisse, illi qui Gymnasio velit cum auctoritate & dignitate praesse. Haec NOSTRUM movit, ut de capeffendis summis in Theologia honoribus cogitaret, jamque adeo debebam, more, institutoque Majorum, de Vita CANDIDATI NOSTRI exponere. Ceterum, quod eandem ipse verbis usque adeo lectis, concinnisque concepit, ut elegantioribus exprimi vix possit, malo illam, ipsius *Amplissimi CANDIDATI*, quam meis recensere.

M. ALBERTUS MENO VERPOORTENIUS, inquit, *nono sterilis ante conjugii anno natus est Gothæ d. XII. OÆ. A. C. clō Iō clxxii Patre VILELMO VERPOORTENIO, Lubecensi, iis nato majoribus, qui ob sacra puriora, Albani Ducis tyrannide afflicti, solum verterrant, atque, Antverpia relicta, Hamburgi, Lubecaeque,*
con-

man der gewöhnlichen Arbeit des Predigens, Lesens, Disputirens &c. überbürde, und sie hingegen allein auf die Polemica sich legen liesse. Könnte hernach zwischen denen reinen Lutherischen Facultäten, (welches ich für meine Person binzu füge) eine feine Contessionation gestiftet werden, wie sie der sel. Hr. Dorfschaus zu seiner Zeit urgirte, würde verbossentlich in vielen Dingen ein gutes Vernehmen und heilsame Eintracht, durch himmlischen Beystand zu hoffen stehen.

*confederant. Is tum quidem Serenissimo, ac Piissimo, Saxonie
 Duci, ERNESTO III. a consiliis Ecclesiasticis
 erat; postea Doctor Theologus, Superintendens Ducatus
 Coburgici Generalis, Consistorii Assessor, Gymnasii Scho-
 larcha ac Professor Primarius fuit: Vir & doctrinae soli-
 ditate, & vitæ sanctitate, & muneris auctoritate, ac fide,
 DEO, bonisque omnibus, carus. Matre, LUCIA ELEO-
 NORA, D. Menonis Hannekenii, Theologi primum
 Marpurgensis, post Superintendentis Lubecensis, de cætu
 sacro longe meritissimi, filia natu minima, Magni MEN-
 ZERI nepte: femina virilis animi & consilii, pietatisque
 ac fiducia in Deum singularis. Cum his anno sequente
 Coburgum digressus, ibi sub antiqua domus disciplina crevit
 non infeliciter, atque ubi ætas tulit, privatim ab Hermis-
 dorfio, mox a Consobrino suo, DANIELE MULLERO,
 (qui demum Magnificus Lubecensium Consul hoc ipso in-
 eunte anno, non sine gravissimo civium luctu, diem obiit
 supremum) tunc quidem Gymnasii Coburgensis civibus,
 literarum rudimentis imbutus est, donec octennis fere in
 Scholam deduceretur Senatoriam, in qua Præceptoribus
 Jo. Buchelmanno, M. Andrea Schillingio, Mi-
 chaele Bodino, Michaelæ Hanffio, Con-Rectore, M.
 Joanne Sauerbrey, t. t. Rectore, ita, DEO juvante,
 profecit, ut anno ætatis duodecimo cum hoc Rectore ac
 Doctore suo, ad Professionem Publicam decedente, in illu-
 stre Gymnasium transire posset. Hoc Collegium tum tem-
 poris auctoritate ac concordia Doctorum, D. Joannis
 Augusti Stempelii, Directoris, SS. Theologiae, nec non
 Metaphysices & Moralium Prof. Publ. M. Jo. Wœlfing-
 gü, Pædagogiarchè, Mathematicum atque Linguarum
 Orientalium Prof. Publ. M. Joannis Schubarti, Logices
 ac Græcæ Linguae Prof. Publ. M. Joannis Sauerbrey,
 Eloquentiæ, Historiarum, ac Poëseos P. P. quam maxime*

florabat: qui omnes ac singuli in puerili ingenio formando, poliendoque, sedulo elaborarunt. Imprimis Excell. Schubarthus, Vir ob consummatam eruditionem, fidemque, & industriam, in instituenda juventute plane singularem, longiori vita dignissimus, eum arctissime est complexus, nec minus ac filium dilexit, vicissim merito suo, quoad vixit, a Nostro pro parente cultus. Quibus quum assidua Patris Optimi cura, solersque, in moderando impetu puerili, prudentia accederet, factum est, ut anno ætatis quarto & decimo non ineptus existimaretur, qui ex Pædagogio ad Scholas publicas in cætu superiori admitteretur, studiaque disciplinarum. Sed hic, incommodum sane! Optimi Parentis mors præmatura intervenit, que omnes circulos (quantum humanitus conjicere dabatur) conturbare, spemque ipsam in herba, quod dicitur, opprimere videbatur. Verum, istum quoque casum DEI benignitas in meliorem vertit partem. Animo enim adolescentis mature ad incerta rerum humanarum, & fucum seculi aliquanto penitius pernosendum, deducto, tanto minus postea periculi fuit ab ambitione, dira illa ingeniorum, ipsiusque salutis, peste. Quin & quo facilius orbitatem ferret, excitati divinitus sunt Patroni, ipsius, fratrumque, commodis magna cura, fideque, providentes. Quorum Coburgi princeps erat Magnificus Confessorii Ecclesiast. Præses, deinde Cancellarius, & Consiliarius intimus, JOANNES BURCARDUS ROESLERUS, Socer post illa Nostri desideratissimus, qui viduam matrem cum familia, cum alias tuebatur, tum Serenissimi Ducis ALBERTI gratiam ei conciliabat ac servabat, per quam duobus Sipiendiis literariis Nostri conatus gratiosissime sunt proveci. Cum hoc paria faciebant Venerandi Avunculi HANNEKENII, qui ceteras laudes suas pia sororis

fororis viduae, liberorumque, tutela egregie cumularunt. Singulorum benignitati summa quaeque multis modis se debere, Noster sanctissima grati animi religione profite-
tur: qui omnium HANNEKENIORUM Fratrum ho-
spitio liberali usus, praeterea sigillatim PHILIPPI LU-
DOVICI, Theologi & Giessensis & Vittembergensis, in-
stitutione fideli, in utraque hac Academia, per integrum
sexennium, NICOLAI vero, Medici apud Lubecenses dex-
terrimum ac celeberrimum, commendatione, consilio, ope be-
nefica ac proluxa, una cum fratribus, incredibiliter adju-
tus est. Coburgi quidem in Scholis publicis, ac privatis,
Theologicis ac Philosophicis, exercitationibus item dispu-
tationum per triennium ita est versatus, ut Gissam an-
no MDCLXXXVIII concedens, statim a primo adiu, Col-
legiis in utraque Facultate disputatoriis posset cum fru-
ctu interesse, commilitonesque veteranos quodammodo
consequi. Laudabile utriusque Praestantissimorum The-
ologorum, HANNEKENII & RUDRAUFFII, insti-
tutum erat, scholis varia doctrinae sanctioris capita ex-
plicandis, vel disputationem, vel examen, singulis fere
hebdomadibus subungere, quod excitandis ingenii mirifice
faciebat. Eodem etiam PHILIPPUS CASIMIRUS
SCHLOSSERUS in Philosophicis utebatur instituto, non
sine Nostri, aliorumque auditorum, commodo. In Geo-
deticis BALTHASARI MENZERO, Balth. F. Balth.
N. (cujus in convictu se per duos, cum dimidio, annos
fuisse, gratus meminit) itemque in Politicis atque Etri-
cis summis JCTis, JOANNI NICOLAO & BERN-
ARDO LUDOVICO MOLLENBECIO, publice dis-
serentibus, aliquam operam navavit. Familiari prae-
terea eruditaeque, consuetudine GEORGII BALTHASARIS
MASCOVII, Pastoris nunc Primarii, Superintendentis ac
Pro-

Professoris Regii Stetinensis; FRID. ROOSTGAARDI, qui decus reconditarum literarum, multis vigiliis atque itineribus collectum, magnaeque simul, in aula Danorum regia, dignitatis pondus egregie sustinet; & JO. STEENBUCHII, Professoris jam Regii Havniensis, praeter ceteris fruebatur, eosque, ipsorum merito, honoris causa nominat. Unum illud praeter spem & votum evenit, quod in ipsam flammam incidit dissidii Collegarum, qua Academia vehementer correpta pene deflagrasset. Ast hoc pacto non tantum interiora totius negotii, haud satis cognita in vulgus, paullo accuratius distinctiusque pervidit, sed etiam quaedam prudentiae momenta in ipsis illis ecclesiae vulneribus notavit, cautioni & usui in futurum. Dum ibi est, semel in Maresium, iterum, scripta a se dissertatione de Elapsu regentorum e statu gratiae, Praeside HANNEKENIO, publice in cathedra stetit. Inde quum a. c. 1500 CXCII abiisset, modo Coburgi cum Matre ac Fratribus vixit, modo, visa Jena, Lipsiaque, Hamburgi atque Lubeca, apud Cognatos: in quibus et M. IOANNES REICHIUS erat, quem, elegantissimi ingenii, & variae reconditaeque doctrinae, Virum, sibi que amicissimum, paullo post in ipso aetatis flore praecoci fato decessisse, acerbè doluit. Atque hic Dn. D. NICOLAO HANNEKENIO operam in perdocenda Filiorum, (postea ad summos, in arte salutari, honores evektorum,) biga per annum locavit liberalem. A. C. 1500 CXCIX Novembri ineunte, comite Fratre natu proximo, PHILIPPO THEODORO (Professore postmodum Eloquentiae, ac Graecae Linguae Coburgi laudatissimo, & SS. Theologiae Licentiatario, qui propere nimis & flebilis occidit!) celeberrimam hanc Leucoream adiit, seque Magnificis Viris, HANNEKENIO, Avunculo, & IOANNI GEORGIO NEVMANNO denuo

denus in disciplinam dedit: Venerandos Senes pariter,
IOANNEM DEVTSCHMANNVM, & CASPAREM
LOESCHERUM, publice differentes, non indiligenter au-
scultavit. Atque sub Avunculi quidem Praesidio bis in Aug.
C. publice, tum alias privatim, dubitationibus Commilito-
num respondit. Tum vero seculi nostri ornamenta, u-
numquemque in arte sua Roscium, ingenue coluit: labo-
riosissimum scilicet & Francis, popularibus suis, admo-
dum faventem, GEORGIUM CASPAREM KIRCH-
MAYERUM, Patrem; Prudentiae, ac boni moris, non ore
magis, quam vitae exemplo, Doctorem egregium, CHRIS-
TIANUM ROERENSEUM; Lumen illud literati or-
bis, omnisque politioris eruditionis penu, CONRA-
DUM SAMUELEM SCHURZFLEISCHIAM; dili-
gentissimum originum, rituumque, Hebraicorum promun-
condum, THEODORUM DASSOVIVM; ingeniosissi-
mum eruditi pulveris descriptorem, MARTINUM
KNORRIUM; indefessum Historiae Philosophicae Scruta-
torem, JOANNEM BAPTISTAM ROESCHELIUM;
JOAN. CHRISTOPH. WICHMANNSHAUSIUM,
elegantissime doctum; acutissimum GEORGIUM FRI-
DERICUM SCHROEBERUM. Ex quibus Excellentissi-
mus WICHMANNSHAUSIUS Nostro honores sum-
mos in Philosophia, a. clo lxxvi honeste ambiendi,
Brabeuta contulit: SCHURZFLEISCHIAM disputati-
oni priori de Urbe Nino praesedit, atque in ipsum, juxta
ac Fratrem, praestanti benevolentia ac studio exiit. Ne-
que minus egregiorum Virorum, Ordini Philosophico tunc
adscriptorum, aliorumque civium Academicorum amici-
tia atque exemplo profecit: ex quibus in Saxonia hodie-
que per Dei gratiam supersunt Ocellus Ecclesiae purioris,
VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS, &

C

GOTT-

GOTTLIEB WERNSDORFIUS, sui Ordinis princeps, qui divinis auspiciis in afflictæ Ecclesiæ subsidium, quam diutissime perennet! Ne facultas prodeundi in lucem frustra esset data, alteram de Nino Urbe, duas de Martino Bucero, disputationes Præses defendit: amicis vero, amanter petentibus, opera ipsius in vario Literarum genere, ut res tulit, præsto fuit. Erant, qui consilium darent, Vitembergæ commorandi diutius. Alii Rostochium, proposito Stipendii Schabbeliani, quo & Pater Nostri auctus olim fuerat, munere, vocabant. Sed iure quidem suo eo valuit animi religio, recordatioque officii, Patriæ, ejusque PATRI Serenissimo, cum alias, tum ob concessa studiorum subsidia debiti, ut Coburgensibus suis qualemcunque suam operam præ ceteris offerret. Quod quidem ita cecidit, ut **DIVUS ALBERTUS**, in fatali etiam lectulo, ipsius gratiosissime memor, primam, que tum vacabat, paroeciam fidei ejus commendari voluerit; mox autem, consilio mutato, ad aliud eum vitæ genus, cum bonarum literarum cultu conjunctius, destinavit. Sed aliter Deo visum fuisse, ultima hora, Provinciæ Coburgensi adeo funesta, docuit; **SERENISSIMO PRINCIPE** ante rebus humanis, quam hæc consilia exitum reperirent, vale dicente.

At Ejusdem, qui omnia potest, nutu, paucis, post obitum Celsissimi **HERI**, hebdomadibus **SERENISSIMI PRINCIPES HEREDES** Nostrum cætus sacri Sonnebergensis Pastorem, atque Ephoro Neustadiensis ad Ericas, in parte Diœceseos procuranda, Adjunctum, tandem vero, A. cl. l. cc. viii. ad finem vergente, Neustadiensium, totiusque Diœceseos, Antistitem esse, & causis matrimonialibus, atque disciplinæ ecclesiasticæ, ad
leges

leges ibi receptas, præesse gratiosissime voluerunt. Qualem in his se gesserit, aliorum esto iudicium. Ipse, omnia bona soli DEO accepta esse referenda, defectus vero suos atque imbecillitatem serio se agnoscere ingenue profitetur. Interea Commentationem de Bucero, olim in Academia captam, absolvit, itemque Epistolarum ad Venceslaum Lincum, &c. Analecta, in lucem publicam emisit. Simul aliorum, fidei suae creditorum, pios conatus, ut PHILIPPI SCHMIDTII, Pastoris Iudenbacensis, posthuma Patris collectanea in lucem edentis, JO. CHRISTIANI THOMÆ, eruditi Rectoris Scholæ Neustadiensis, Meletema de Vita Lutheri, atque Ministris Verbi, inde ab ætate Megalandri, in nostra Provincia, usque adhuc, Deo operatis, juxta pro virili. In his dum est totus, nec opinanti gubernacula Illustris Gymnasii Academici Coburgensis, morte D. GODOFREDI LUDOVICI Rectore vacua, offeruntur. Quod quamvis non uno nomine novum primo videretur, tamen, instantibus amicis, majorem ibi pro publico commodo operæ fructum ostendi, accedentibus concordibus SERENISSIMORUM PRINCIPUM ac DOMINORUM, PATRUM PATRIÆ, in se quoque sigillatim munificentissimorum, suffragiis, DEO se, & Superiorum voluntati, totum permittere, neque hanc usuram sui Patrie invidere aut negare voluit; id precatus unicum, ut Deus spem de se conceptam gratiose expleat, suppeditisque Spiritus æterni donis, necessariisque corporis, atque animi, viribus omnia in salutem juventutis, patriæ, ecclesiæ, vergere jubeat, Satanae vero, omnia recte constituta assidue & proterve turbans, artes quam potentissime evertat.

C 3

Exem-

2 K W d 873

Exempla igitur Antecessorum plerorumque, & Decretum, Serenissimi quondam DVCIS ALBERTI, secutus honores in Theologia summos a Summe Reverendo Theologorum Vitembergensium ordine modeste petere decrevit.

Petiit, tantoque facilius ab Ordine nostro impetravit, quod a SERENISSIMIS Gymnastii Coburgensis NUTRITORIBUS, sigillatimque a Serenissimo Principe ac Domino, Domino JOANNE ERNESTO, itemque Serenissimo Principe, ac Domino, Domino, ERNESTO LUDOVICO, Ducibus Saxonie, Julie, Clivie, ac Montium, nec non Angrie ac Westphalie, cetera, Principibus, laude nostra, & prædicatione majoribus, peculiaribus, iisque gratiæ Principalis plenissimis, literis commendatus fuit. Cras igitur, quod DEVS bene vertere jubeat! ab hora IX. speciminum suorum ingredietur cursum, orationem luculentam de prudenti simplicitate habiturus. Cui ut MAGNIFICUS ACADEMIAE RECTOR, PER-ILLUSTRIS R. I. COMES, Patres Conscripti, Doctores item Academie reliqui, Venerandi Ecclesie Oppidane Ministri, Ordinis Philosophici Assessores, literarum denique Fautores & Literati, Civesque omnes, frequentes interesse velint, meo & Collegarum nomine, reverenter ac benevole, rogantur. P. P. Dom. XII. post Trinit. MDCCXXIV.

VVITTENBERGAE,
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.


(X231 3727)

H.C.









n. 69, 2.

*De Ernesti. Pii Duc. Sax
consilio condendi collegii
ad decidendum controversias
Religionis*



ORDINIS THEOLOGORVM
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
HOC TEMPORE
DECANVS
GOTTLIEB
WERNSDORFIVS
THEOL. D. ET PROF. PVBL.
CONSIST. ASSESSOR PAST. ET SVP. GENERALIS
LECTVRIS
S. P.